

Peter Lauremberg

**Programma, Quo ad Exequias, Quas Filio ... Davidi Schuckmanno, parabunt  
Parentes moestissimi, Cives Academicos invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1628

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777431491>

Druck Freier  Zugang



Lauremberg, P.,  
in  
D. Schuckmann.  
Rostock, 1628.

6.







PROGRAMMA,

Quo

Ad Exequias,

Quas

FILIO SUO CHARISSIMO, PUERO  
ELEGANTISSIMO,

DAVIDI SCHUCK-  
MANN O,

parabunt

PARENTES MOESTISSIMI,

Cives Academiæ invitat.

PRORECTOR

PETRUS LAUREMBERGD.



ROSTOCKI

Typis exscripsit Joachimus Pedanus,

Acad. Typogr. Anno 1628.



## PROGRAMMA.



Antiquos sapientes vitam humanam cum Fabula composuisse, ex monumentis ipsorum intelleximus. Fabula nonquam diu, sed quam bene acta sit, perpendi solet: Sic & vita; quæ neq; brevis, neq; imperfecta dici meretur, si honesta est & bona. Ubicunq; desines, si benè desines, tota est. Diu vivere neq; felicem, neq; beatum efficit. Nam & sæpenumero illi, quibus vix altera vivitur æstas, tutius commigrant ad plures, quam qui jam sinistrâ ceperunt numerare annos. In hoc mortalis vitæ stadio omnes viatores sumus, ad unum scopum festinantes, quem qui temporius attingit, is creditur melius consuluisse rebus suis. Jam veluti amico aut familiari suo felicem peregrinationis

tionis terminum nemo prudens aut bonus  
invidet; ita neq; charissimis nostris pigno-  
ribus si præpropere festinarint & translata  
fuerint ad coelestem patriam, hanc metæ  
adeptionem fas est invidere. Illuc enim  
quicumq; penetrarūt, positi sunt extra mo-  
tum in quiete: extra turbas in tranquilli-  
tate: extra miseriam in beatitudine. Et  
videtur sane vigor teneræ illius ætatis ante  
plenam maturitatem præcoci obitu extin-  
gui, partim singulari consilio id curante eo,  
qui vitam necemq; hominum suo dispen-  
sat arbitrio: partim priva quâdam & pe-  
culiari naturæ sorte. Enimvero sicuti au-  
reum vasculum non patimur per mediam  
suppellectilem culinariam aut jacere  
diu, aut proletariis usibus inquinari, sed  
recondimus tuto loco, & acætero cenlu se-  
gregamus: Ita puras illas infantiles animas,  
auro contra preciosos, supremum Numen  
non sinit diu permisceri impuritatibus ter-  
reni orbis: sed procul inquinamentis, pro-  
cul periculis, procul negotiis infert in se-



curam sedem, ubi neq; à tineis arrodi, ne-  
que situ squallere, unde neu vi, neu fraude  
auferri possunt: ubi tutilsima est felicitas,  
& felicissima commoratio. Pater, si quem  
cernit filium demersum inter fluctus me-  
dios, eum quam ocysimè eripere, & à præ-  
senti intereacione vindicare studet. Vita  
hæc mortalis pelagus est, in quo miseria-  
rum & scelerum decumanæ procellæ  
obrutos tenent, minanturque adigere ad  
præcipitem perniciem, omnes navigantes  
aut natantes. Felicem illum, & terq; qua-  
terque beatum, qui maturè & tempori in-  
de extrahitur! Nunc verò & suâ quadam  
ac congenita sorte ad ociorem interitum,  
diemq; fatalem properare solent infantes.  
Adolescentum indoles firmior est: Ho-  
minibus statæ ætatis robur & virtus triplex  
circa pectus hæret. Senes, seu quia ob-  
duruerunt ad pertinaces insultus rerum  
externarum; seu quia sagacius ac cautius  
eisdem administrant, non tam facile nec  
subito quatiuntur. In tenella infantili ætate,  
qui-

quibuscum miseris, cum imbecillitate tam  
membrorum quam mentis non conflictat-  
tur homo? quot agitur periculorum flu-  
ctibus? quam pronus est ad omnes mortis  
articulos, ad omnes ægritudinum cater-  
vas & genera? Juvenes ad mortem, quæ  
Sphynx est, properant curruntque binis  
pedibus, senes trinis: pueri quaternis.  
Horum multos vidimus qui ipsos se ene-  
carunt vociferatione & ploratu. Vidi-  
mus quos nutrix somno vinoque sepulta  
improvido oppressu adegit ad mortem.  
Non sunt profecto leves afflictiones ad  
quas hæc ætas suo genio solet inclinare,  
quarum nonnullam originem medico-  
rum filij sanguini ascribunt, quem omnes  
amatribus hausimus, omnesque hoc no-  
mine jam à primo ortu bibimus primor-  
dia atrocium malorum. Inter centenos  
vix unus & alter ex naufrago hoc æquore  
naviculam in salutis vitæque portum ite-  
rum reducit.

Non abibo longius. Documentum  
A 3 hujus

hujus mei effati profero eum puellum, cu-  
jus memoriæ & funeralibus hodie publi-  
ca dicabitur solemnitas. Est ille, vel po-  
tius fuit, filiulus charissimus, patris Viri  
amplissimi & consultissimi Dn. HENRICI  
SCHUCKMANNI, J. U. D. & Judicij pro-  
vincialis Assessoris celeberrimi, de Megapo-  
li hac nostrâ præclare meriti, Matris vero,  
fœminæ omnium matronalium virtutum  
exemplaris, ANNAE STECHOVIAE.  
Parvulus hic, felicitis recordationis, DA-  
VID SCHUCKMANNUS, post-  
quam vix sesquiannum vivendo expleve-  
rat, Natus quippe a. d. XIV. Novemb.  
Anni cIo Io CXXVI, nunc iterum post  
quaternorum mensium decubitu gravis-  
simum, ab internecino & in expugna-  
bili scorbuto, ex numero viventium exem-  
tus est, nudius quartus, scilicet XXVIII.  
hujus mensis circa meridiem. Spacium,  
quo in humana societate versatus fuit, vi-  
tæque mortalis fabulam peregit, breve  
sane est, & angustum; sed optimè, & piè,  
& bea-

& beatè absolutum. Dixi initio, parum  
referre quocunque loco finias: Satis esse  
si clausulam imponas bonam. Nimirum  
& prima & ultima dies absolvunt huma-  
næ peregrinationis conditionem; eumq;  
felicem fuisse judicamus, cui & accipere  
lucem prosperè, & reddere placidè conti-  
git; cujus beatitatis, cum & filiolum suum  
participem factum sciant Parentes optimi,  
nō tam sibi moerere, quam filio gaudere, &  
gratulari debebunt. Is jam securus tu-  
tusque ætatem agit ab omni violentia ra-  
bidæ fortis; ab onerosissimis tumultibus  
quibus miseri mortales undique & undi-  
que premimur. Superest ut extrema ju-  
sta suo huic charissimo D A V I D I persol-  
vant moestissimi parentes, quod cum ho-  
dierna-luci facere constituerint, horta-  
mur serio & amanter rogamus Omnes  
Academiæ cives, Doctores, Magistros,  
verbi

verbi divini sacerdotes, nobilissimam &  
studiosam Juventutem, ut ad horam me-  
diam primam, in templo Jacobæo fre-  
quentes convenire, & solemnitatem fu-  
neralis deductionis præsentia sua auctio-  
rem & honoratiorem facere non intermit-  
tant. P. P. Rostochij XXX. Maij, Anni  
c1o C. XXVIII.














quibuscum miseris, cum im  
membrorum quam mentis  
tur homo? quot agitur pe  
ctibus? quam pronus est ad  
articulos, ad omnes ægritu  
vas & genera? Juvenes ad  
Sphynx est, properant cur  
pedibus, senes trinis: pu  
Horum multos vidimus qu  
carunt vociferatione & pl  
mus quos nutrix somno vi  
improvido oppressu ad egit  
Non sunt profecto leves a  
quas hæc ætas suo genio se  
quarum nonnullam origi  
rum filij sanguini ascribunt,  
a matribus hausimus, omne  
mine jam a primo ortu bib  
dia atrocium malorum: In  
vix unus & alter ex naufrago  
naviculam in salutis vitæ qu  
rum reducit.

Non abibo longius. I  
A 3



e tam  
licita-  
n flu-  
ortis  
ater-  
quæ  
binis  
ernis.  
ene-  
Vidi-  
pulta  
tem.  
es ad  
nare,  
dico-  
mnes  
c no-  
mor-  
enos  
quore  
ite-  
atum  
uujus